



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 9. Temerarium iudicum quàm graue sit peccatum, & cur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

amaræ mentis vitio, neminem aspiciunt, quem non iudicent damnentque.

## §. IX.

*Temerarium iudicium quàm grave sit peccatum, & cur?*

Putabit quis ea iudicia non esse magni momenti, cum intra cogitationem orta, intra cogitationem illicò occidant; aut certe, si pertinaciùs hærent, ultra cogitationes non progrediantur. Verùm res secus evenit. Siquidem & alterum sua priuant estimatione, & iudicantem obligant ad opinionem temerè iudicato restituendam, suamque retractandam; quod cum & rarò fiat, & difficile sit exequi, quia opinionem semel conceptam humani ingenij pertinacia non libenter mutat, fit ut is, qui ita iudicavit, iudicium suum ad iudicium & tribunal Dei secum, ex hac vita, plerumque auferat, cum periculo æternæ damnationis. Et, ne quis putet, Comitum quidem iudicium quod innocentem coniugem catenis oneratam, ad canes damnavit, grande quid patrasse; suum autè iudicium innoxium esse, neque ad tam crudeles pœnas decernendas procedere, sciat, quicumque, apud se se, alterum cum temeritate iudicat mortaliter peccavisse

uisse ( quo pacto homines creberrimè iudicant ) illum, quantum in se est, non ad canes, aut canes alterum, sed ad longè atrociora supplicia, nempe ad æternum carcerem, & æternos ignes damnare. Quid enim aliud facit, qui alterum iudicat lethale peccatum commisisse, quàm vt iudicet, eum æternis supplicijs dignum esse? & non ad Caucasum, sed ad rogam damnandum esse, caminumque ignis, qui numquam extinguetur?

§. X.

*Temerariè iudicantes Dei summi Iudicis iurisdictionem innadere.*

Quod iudicium cum ad solum Dei tribunal pertineat, cuius est scrutari corda & renes, & illuminare abscondita tenebrarum; consequens est, vt Dei iudicium vsurpet, qui de corde, seu voluntate, & occultis alterius iudicat. Sicut ergo magnam Iudici sæculari, aut Ecclesiastico iniuriam irrogaret, qui, eo de tribunali suo deiecto, se ipsum, per vim ingereret, atque sedens in illo iudicaret; ita in vniuersalem viuorum & mortuorum Iudicem Christum iniurius est, qui fratrem, aut proximum suum iudicat gehenna dignum. Prima iusti iudicis conditio est, *Autho-ritas*

S. Thom.  
2. 2. q. 60.  
a. 6.

Sot. lib. 3.  
de iustis,  
q. 4. a. 6.